

**De aceto non portando Ragusium.**

LXIII. Item nullus Raguseus vel foresterus possit portare Ragusium acetum causa uendendi, scilicet pro utilitate domus sue Raguseus portare possit usque ad medium quingum ad uoluntatem suam. Et Raguseus, qui contrafecerit, soluat pro banno yperp. duos et acetum superfluum stampanetur. Cuius banni medietas sit accusatoris. Si autem fuerit foresterius perdat acetum.

**De Molsa.**

LXIV. Item nullus debeat facere molsam<sup>209)</sup> ad uendendum, et quicumque fecerit, soluat pro banno yperp. duos et tota illa molsa sta(m)panetur et quicumque accusauerit, habeat medietatem banni. Quilibet autem possit facere sine pena ad bibendum in domo sua.

**De uino Insularum.**

LXV. In insulis Jupane, Dallafote et Calamote uinum, quod nascitur in qualibet istarum insularum, possit in eadem insula uendi ad tabernam, de una autem insula ad aliam ad uendendum illud portari non posset. Si quis tamen de ciuitate Ragusij ad aliquam predictarum insularum portare uoluerit uinum ad bibendum in taberna, possit hoc facere cum licentia domini comitis dicendo ei quantitatem ipsius uini. Qui autem aliud uinum, quam dictum sit superius uendiderit, soluat pro banno yperp. duos et uinum adductum de foris stampanetur.

**De uino extrahendo de Ciuitate.**

LXVI. Omnes et singuli Ragusei in quocunque ligno exeuntes de Ragusio teneantur et debeant extrahere uinum de Ragusio secundum modum infrascriptum. Si iuerit Venecias et per totam Marchiam et per totam Apuleam quilibet mercator extrahere debeat quingos duos de uino et pro quolibet puero suo quingum vnum et quilibet marinarius et conductus quingum vnum. Si uero iuerit usque Dyrachium uel Lauellonem quilibet mercator portet quingum vnum et dimitium et quilibet alius tam marinarius quam conductus et puer quingum vnum. Si iuerit extra Culfum usque Accon, portet quilibet mercator quing. sex et quilibet alius tam marinarius, quam conductus et puer quing. quatuor. Si iuerit usque Vlcinium uel Antibarum uel Curçulam portet quilibet, qui fuerit in nauí medium quingum et a Curçula usque ad quaruarium quingum vnum. Et si iuerit Catarum portet, quilibet qui fuerit in nauí quartam vnam. Quicumque autem non traxerint uinum pro parte ligni, quando exhibunt de Ragusio, non possint similiter in eorum reditu portare uinum Ragusium pro parte ligni. Verumtamen, si aliqua nauis Raguseorum applicuerit portui Ragusij et uoluerit ire ad alias partes, si non discaricauerit in Ragusio, non teneatur aliquis qui fuerit in illa nauí extrahere uinum de Ragusio. Et si quis mercator nel

<sup>209)</sup> Wohl dasselbe wie mulsum, molsa „podio ex melle dit aqua confecta“.